

SCRIPTA

Numéro Scripta : 5726

Auteur(s) : Enguerrand, fils aîné d'Hugues le Portier [particulier]

Bénéficiaire(s) : Rouen, Saint-Ouen (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1229, janvier

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Engerrand, fils aîné d'Hugues le Portier, confirme, en les faisant transcrire, trois chartes de son père Hugues le Portier en faveur de l'abbé et des moines de Saint-Ouen de Rouen.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Delisle Léopold, Passy Louis, *Mémoires et notes de M. Auguste Le Prévost pour servir à l'histoire du département de l'Eure*, Évreux, Hérissé, 1862-1869, 3 vol., t. 2, p. 525-526.

Dissertation critique

Craissanvilla : Cressenville, commune réunie à Gaillardbois en 1845 sous le nom de Gaillardbois-Cressenville.

Texte établi d'après a

Omnibus Christi fidelibus ad quos presens scriptum pervenerit, Engerrannus, filius Hugonis Portarii primogenitus, salutem. Noveritis quod ego inspexi quasdam cartas dicti Hugonis, patris mei, quarum prima talem habet tenorem. Notum sit omnibus tam presentibus quam futuris quod, cum ego Hugo Portarius, assensu Mathillidis, uxoris mee, et heredum meorum, domos meas de Piris, cum porprisio et omnibus pertinentiis cum omni jure quod in eadem villa, et in pertinentiis suis habebam vel habere poteram, cum terra de Gastinis, cum terra de Colemont, sine assensu et voluntate abbatis et conventus S. Audoeni Rothomagensis, de quorum feodo predictae terre esse noscuntur, ipsis etiam non requisitis, Ricardo Comin, militi, pro ducentis libris et centum solidis turonensium, vendidissem, ego postea, de mandato domini regis, apud quem predicti abbas et monachi conquesti fuerant, super hoc quod de eorum feodo sine eorum assensu factum fuerat, totum quod de prefato Ricardo nomine venditionis facte receperam, coram ballivis domini regis, et coram Enardo, tunc majore Rothomagi, reddidi, et ipse Ricardus predictas terras et tenementa cum omnibus pertinentiis suis integre mihi reddidit et resignavit, et ego ipsum de homagio quod ipse inde mihi fecerat quietavi, et prefatas terras de Colemont et de Gastinis, et quicquid juris et hereditatis in prefata villa de Piris et Perrolio, et in pertinentiis earum habere peteram vel habebam, in hominibus, in redditibus et in omnibus aliis rebus, predictis abbati et monachis S. Audoeni pro ducentis et triginta libris turonensium vendidi et omnino dereliqui. Dederunt insuper uxori mee centum solidos pro hujus venditionis concessione, et Engerranno, filio meo primogenito, similiter centum solidos, et ego Hugo tactis sacrosanctis evangeliiis juravi quod in prefatis terris et tenementis et aliis rebus prenomatis nichil de cetero reclamabo nec aliquis per me. Et si quis vellet eis super premissis calumpniam movere, ego et heredes mei eis predicta defendere et contra omnes gentes garantizare debemus. Ut autem hoc ratum et inconcussum futuris temporibus permaneat, ego Hugo Portarius presens scriptum sigilli mei patrocinio confirmavi. Actum fuit hoc in curia domini regis, coram Willermo Pullo, tunc castellano

Rothomagi, anno Dominice incarnationis millesimo ducentesimo sexto. Secunda autem carta hujusmodi habet formam. Omnibus sancte matris ecclesie filiis, ad quos presens scriptum pervenerit, ego Hugo Portarius, salutem. Noverit universitas vestra me totum tenementum quod ego et antecessores mei de abbatibus Sancti Audoeni Rothomagensis, apud Greinvillam et apud Craissanvillam, per longa tempora, ad firmam tenueramus, et quicquid in eis villis, in terris et hospitibus, in bosco et quibuslibet redditibus et pertinentiis, de feodo S. Audoeni esse dignoscitur, pro salute anime mee et antecessorum meorum, ecclesie S. Audoeni, cum omni integritate, reddidisse et totum jus quod ibidem habebam quietum et imperpetuum dimisisse, ita videlicet quod ego tactis sacrosanctis evangeliis juravi quod in tenemento illo, aut in ejus appendiciis, nichil ulterius reclamabo, sed contra omnes gentes, si quis forte adversus dictam ecclesiam super hoc questionem aliquam aut calumpniam suscicaret, pro posse meo garantizabo. Pro hac autem abjuracione et redditione facienda, Gaufridus, tunc temporis abbas S. Audoeni, et conventus mihi sexaginta libras andegavensium dederunt, et ne hoc de cetero valeat in irritum revocari, sed firmum et stabile futuris temporibus habeatur, idipsum presentis scripti testimonio confirmavi et sigilli mei patrocinio roboravi. Tercie autem carte series talis est : Sciant omnes, presentes et futuri, quod ego Hugo Portarius concessi et pepigi abbati S. Audoeni Rothomagi et conventui illius loci quod, si aliquod instrumentum, sive cartam, sive aliquam confirmationem haberem de illa terra de Greinvilla et de Crassanvilla, quod eis redderem et nullam reclamacionem de illa terra facerem per instrumentum quod inde habere potuissem. Et sic juravi tenendum pro me et heredibus meis predicto abbati et conventui Sancti Audoeni, et hoc sigillo meo confirmavi. Ego igitur dictus Engerrannus, filius dicti Hugonis Portarii primogenitus, in legitima etate per gratiam Dei constitutus et uxoratus, et a dicti Hugonis, patris mei, custodia semotus, dictas cartas predicti Hugonis patris mei, et omnia que superius annotantur, ne juramentum predicti Hugonis, patris mei, aliquatenus futuris temporibus, quod absit, violetur, dictis abbati et conventui S. Audoeni Rothomagensis liberaliter et sponte concedo, et eis premissa perpetualiter in pace possidenda hac presenti mea carta confirmo, ita videlicet quod ego sepredictus Engerrannus in predictis nichil omnino potero aliquo modo habere nec reclamare, nec heredes mei poterunt aliquid habere aliquatenus nec reclamare. Sed ego Engerranus et heredes mei tenemur predicta omnia predictis abbati et conventui imperpetuum defendere et contra omnes dominos garantizare. Ut autem hec omnia firma imperpetuum et inconcussa permaneant, ego jamdictus Engerranus, tactis sacrosanctis evangeliis, sponte et sine aliqua coactione juravi predicta omnia prefatis abbati et conventui me imperpetuum fideliter et sine fraude servaturum. Et insuper ego presens scriptum sigilli mei appositione roboravi. Pro hac vero concessione et confirmatione dederunt mihi dominus Rogerus, tunc abbas S. Audoeni, et ejusdem loci conventus quadraginta et octo libras turonensium. Actum anno Dominice incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo octavo, mense januario.